SERENISSIMI REGIS ORATIO, PER SEIPSVM HABITA IN ſuperiori Parlamenti domicilio: coram Dominis, tum Spiritualibus, tum Temporalibus, & Equitibus auratis, Ciuibus, ac Burgenſibus, in eo loco congregatis. Die Lunæ 19. Martij. 1603. primo nempe die huius Parlamenti: primo itidem Parlamento Regni Maieſtatis ſuæ.

In Latinum ſermonem verſa: ROGERO MARBECK, *Regio Medico Interprete.*



LONDINI,
Impenſis Georgij Biſhop.
1604.







IACOBO REGI SERENISSIMO, DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Parce precor Rex summe, potens, mitissime Princeps:
Quòd tua non verear dedecorasse meis.



VAMPRIMVM Deo Opt. Max. placuerat, paulò clementiùs nobiscum agere, Angeli. que sui voracissimi, in istius Ciuitatis Plebeculam immaniter grassantis, vim omnem, & furorem auerterat: nihil mihi aut prius fuit, aut optatius, quàm vt publicum hoc *Parlamentum*, celebremq́; meorum Subditorum conuentum procurarem: idque tribus potissimùm de

causis, ad istud negotium me commouentibus. De quibus, vnica illa prima, (quæ grati beneuolique animi mei significationem in se continet) etiamsi nulla alia præter eam fuisset, satis tamen in se ponderis, & momenti habuisset, cur istud à me in hoc tempore fieri debuisset. Cogitanti enim mihi, quanta cum lætitia, & quàm incredibili cum alacritate animorum omnium, concorditer applaudentium & congratulantium mihi ad hoc meũ solium aduentanti, quod tum hereditario meo iure, tum singulari bonitate Dei hæc omnia ita nobis prouidente & destinante, suo nunc tempore obuenerat, hunc meum aduentum exceperitis. (Postquam nimirùm præpotens ille Deus, serenissimã vestram nuper Reginam, multis iam annis, & diebus plenam, veri autem honoris, tum laudibus, tum trophæis plenissimam, ex hac vita euocauerat.) Nihil profectò magis necessariò faciendum

videbatur,

videbatur, quàm vt ego, vobis hîc nunc omnibus præſentibus, & ad totius huius Regni quaſi corpus repreſentandum coeuntibus, ego inquam ipſe proprijs meis verbis publicè teſtatum relinquerem, quàm memori, gratoq́ue animo totus iam lætер, & triumphem, cùm id quod ex officio veſtro vobis faciundum fuit, tam amanter iam nunc & tam religiosè factum conſpexerim. Profectò, ingenuè fateor, ex hac re, tantam me cœpiſſe voluptatem, vt nullo orationis flumine, verborumq́ue profluentiâ, ſolidam illam & expreſſam grati animi mei effigiem poſſim depingere. Hoc ſolũmodò illud eſt, quod vobis velim eſſe ſignificatum, & perſuaſum: pro hac in me infinita veſtra, tum beneuolentia, tum pietate, me & iam nunc promptum eſſe atque paratum in omnes partes, ac in poſterum ſemper fore paratiſſimum, ad hanc veſtram humanitatem, quibuſcunque

modis potero, compenſandam.

Quid enim? Obliuiſcar ne vnquam? Imò, an me potiùs vnquam poſſe obliuiſci arbitramini, quantâ cum alacritate & beneuolentia, quantâ cum animorum coniunctione, atque conſenſu, quàm firmis denique votis iunctisq́ue ſuffragijs, idque præter omnem expectationem, me Regem veſtrum legitimum, hereditariúmque Gubernatorem, non ſolùm publicis veſtris vocibus, & acclamationibus, ſed intimis etiam animi ſtudijs ac voluntatibus, tanquam dulciſſimis cordis veſtri vlnis atque amplexibus, me inquam, hùc ad vos venientem exceperitis? An ille: ille inquam Dies, è mea memoria vnquam elabetur, in quo, primo meo in hoc Regnum aduentu, tantus erat vndique omnium hominum concurſus, huc atque illuc confluentium, imò potiùs, ab omnibus huius Regni partibus conuolantium, vt me, tanquam

nouum quendam hoſpitem, & viderent, & ſalutarent obuium? Quorum oculi, linguæ, voces, totuſque corporis geſtus atque motus: nil aliud ſpirabant, quàm inſignem quandam, ardentemque animi pietatem, incredibilem cordis lætitiam, & voluptatem, ſummumque & inexplebile quoddam deſiderium, eius & videndi, & complectendi, quem nouum nunc ſuum, & indubitatum Regem, ſaluum huc aduentaſſe tantopere lætabantur? Quid ergo retribuam?

Quid enim, an illud vnquam in me ipſo collaudabo, quod nunquam in alijs vllo modo potui approbare? Nil herculè minùs. Ingenuè enim, & apertè hic vobis omnibus præſentibus fateor, me meo naturali quodam motu, atque impetu, ſemper illud hominum genus improbaſſe, qui cùm ſunt in ære alieno, blandiloquentijs ſolummodò ſuis, & verborum lenocinijs, creditoribus cupiunt ſatisfacere: tales

enim ſuſpicor debitores, nullam omninò curam habere, vt ad dictum diem pecuniam quam debent repreſentent: nec quicquam illis magis in votis eſt (opinor) quàm vt delicato hoc ſermonis apparatu, creditores ſuos decipere, ac os illis perbellè poſſint oblinere.

Quocirca, vt gratam animi mei voluntatem pleniùs vobis exprimam, ad duas illas alias rationes (quibus animum induxi meum, vt hunc in modum tam ſolemniter vos congregarem) mihi confugiendum eſt: vt non tam verbis, quàm factis, hic meus in vos amor, gratuſque animi affectus meliùs innoteſcat. Atque hæ duæ rationes, quanquam arctiſſimè inter ſe connectuntur, in meiſque actionibus conſiſtunt, (in quibus perficiundis, ſpero per gratiam Dei, quamdiu vixero, me vobis nunquam defuturum ad animi mei pietatem erga vos teſtificandam) tamen duæ illæ rationes,

re

re verâ quodam modo diuiduntur. Sunt enim quædam ex illis meis actionibus, quibus vobis omnibus cupio gratificari, tam consertè, contextéq; cum mea Persona copulatæ, vt indiuiduo penè nexu, cum illa coniungantur. Sunt autem aliæ nonnullæ de illis, quæ eam habent naturam, vt liberum mihi sit, & immune, vtrùm eas actiones, aut velim, aut nolim, meo pro arbitrio exercere: spero tamen, adiuuante Deo, nullum vnquam tempus fore, in quo velim benefaciendo defatigari.

Quòd verò ad primum genus attinet, multa quidem sunt illa fœlicitatum genera, quibus Personæ meæ præsentiâ, Deus Opt. Max. vos omnes cumulauit: & eundem præpotentem Deum testor, ex ea re, plùs me verè, & ex animo lætari ac gloriari, quòd hæc mea præsentia vos ipsos tantoperè beauerit; quàm quòd ista, quæ mihi nunc facta est honoris ac-

cessio, priuatam aliquam commoditatem attulerit. Atque vt ex istis tam multis fœlicitatibus, quæ vnà mecum vobis apportantur, primam illam, quæ sub vestrum aspectum contemplanda vobis subit, attingam: Ecce vobis *publicam Pacem* : *Pacem* inquam extrinsecam, cum cæteris omnibus vicinis nationibus coniunctam. Licet enim mihi, & iustè, & verè affirmare, ex omni illo tempore, quo primùm regnare cœpi, nullum vnquam aut Regem Christianum, aut Remp. extitisse, qui vel mihi iniuriam aliquam obtulerit, vel à me cuiquam oblatam acceperit. Semper enim hactenus, pacem & amicitiam cum omnibus conseruaui, & ob eam rem, gratias ago Deo immortales.

Atque hoc tantum, & tam salutare bonum; vos ipsi optimi testes esse poteritis, tam coniunctim Personæ meæ, ac tam indiuiduè annexum esse, vt quàm primùm in hoc regnum intraueram,

ueram, quod diuturno quodam bello, molestóque, iamdudum totum lassatum & irretitum reperi, omnes hę tempestates, meâ solummodò præsentia, statim in omnibus ijs locis sedarentur, in quibus paulò antè, nihil aliud quàm *Arma* & *Bella* personabant.

Grande quidem beneficium, & summis laudibus prædicandum. Vbicunque enim pax est & tranquilitas cum propinquis: ibi florescunt ciuitates, ditantur Mercatores, rerum communitates, & commercia vigent, & omnia negotiatorum genera, tam liberam quandam habent potestatem ad sua negotia obeunda, vt sine vllo, vel periculo, vel turbamento, summa securitate perfruantur.

Neque tamen velim vt istud, quod à me nunc dictum est, aliter atque sentio, accipiatis. Hanc enim, quam ego externam dico cum alienis pacem, nolim existimetis, tam insepa-

rabili modo, Personæ meæ iunctam esse, & alligatam, vt ausim spondere illam sempiternam fore, & ad omnem insequentem ætatem inuiolabilem. Interim autem, istud vobis non dubitanter affirmo, & in verbo Regis audacter possum polliceri: quòd nulla vnquam per me dabitur occasio, ad hanc pacem perrumpendam, neque vllo vnquam animi mei motu vel affectu committam, vt hæc tanta tranquillitas propter priuatum aliquod commodum meum perturbetur; nisi aliqua necessitas, aut ad hujus imperij dignitatem restaurandam, aut ad publicam Reip. salutem conseruandam, ad illud negotium me contra meam voluntatem impulerit. Id enim si aliquando euenerit, tunc profectò iustum nobiléque bellum incertæ turpique paci infinitis partibus præponendum arbitrabor. Cæterùm, interea tamen loci, diuturna illa tot mearum preteritarum foelicitatum experientia,

rientia, quibus per totius vitæ meæ cursum, vel ab ipsis meis incunabulis, misericors ille Deus meus me cumulauit, facit, vt vehementer confidam, quod nec huius diuinæ suæ erga me bonitatis eum vnquam pœnitebit, neque multiplices hasce beatitates, quibus me hactenus tantoperè perbeauit, continuare recusabit. Quocirca, quod Rex ille *Dauid*, propter tot suas victorias præteritas, solebat dicere. Illud idem, propter hanc meam tam diuturnam pacem, & mihi quoque aptè, conuenienterque dicendum videtur: *Non equidem dubito, quin idem me Ioua, qui à leone, & vrso defendit, ab isto quoque Palestino præputiato defensurus sit.*

Quanquam autem fatendum est; externam istam pacem, magnum mehercule argumentum esse diuinæ in nos bonitatis & fauoris: nequaquam tamen habet pax istęc externa, tantum in se fœlicitatis, ac voluptatis, quan-

tum habet interna illa & domeſtica. Bella enim ciuilia, ac inteſtina, multò ſunt deteriora quàm illa quæ geruntur forìs. Atqui iſta pax, quæ domi apud vos eſt, atque interna, alterum illud fœlicitatis genus eſt, quo vos perbeauit hæc Perſonæ meæ præſentia. Idque dupliciter: vno certè modo, per binarum illarum pernobilium familiarum, olim inter ſe horribiliter diſcordantium, Vnionem: altero verò modo, per amborum iſtorum florentiſſimorum Regnorum, Angliæ, & Scotię fœliciſſimam coniunctionem. Cùm enim ipſe, iure meo hæreditario, recto ductu, ex ipſius Regis *Henrici* ſeptimi lumbis, ortum meum traxerim: hinc fit, vt ambæ illæ nobiliſſimæ familiæ, illuſtriſſimarum Roſarum regiarum, per me, firmo quaſi vinculo, in vnum coaleſcant & confirmentur. Cuius quidem optatiſſimæ Vnionis, vt Rex ille, beatiſſimæ memoriæ, primus erat effector & con-

coniunctor; ſic etiam & iucundiſſimę alterius illius pacis, primus extitit autor atque fundator.

Luctuoſæ illæ & miſerabiles calamitates, quibus, binis illis familijs tam acriter diſſidentibus, vniuerſum hoc Regnum affligebatur, tantæ ſunt, & tam horrendæ, & tam recentes ac facilè memorabiles, vt ſuperuacaneum eſſe putem, illarum memoriam vobis refricare. Atque hæc omnia, tanta & tam luctuoſa diſſidia, quæ ſuperioribus illis temporibus, florentiſſimæ huic Reip. nihil aliud quàm ruinam & exitium minitabantur, non aliter per prædictum illum *Henricum* extinguebantur, quàm nunc etiam per me penitùs ſepulta iacent: cuius Parentela & natalitia, non ſolùm ab illuſtriſſimo illo *Henrico*, ſed etiam ab antiquiore vtriuſque familiæ ſtemmate, recto quaſi tramite deriuantur.

Neque hîc profectò cõſiſtendum eſt, ſed longiùs etiam adhuc progre-

diendum. Harum enim binarum pernobilium familiarum, tam insignis, vt ita dicam, coalitio ac coniuctio, magnum quiddam est, & inprimis salutare, fateor: si tamen cum altera illa pace, quæ per me vobis apportatur, & per quam hæc duo perantiqua Regna inter se copulantur, & in vnum coalescunt, conferatur: profectò non est tanti, vt cum illa comparetur.

Atque hoc in loco, patientiam vestram tantisper postulo, & expecto, dum liceat mihi paulò longiùs progredi, & magis partitim vobis commemorare illa omnia beneficia, quæ per me, ex hac sanguinis mei affinitate ac coniunctione oriuntur. Harum enim rerum plenior consideratio, ad me solummodò spectat, & meam præ cæteris omnibus personam attingit: quoniam permagni huius corporis, tam fœliciter iam nunc vniti & coagmentati, ego ipse caput sum & fundamentum.

Primùm

Primùm igitur, licèt non altioribus argumentis, quàm Physicis tantùm & naturalibus rationibus rem totam ponderemus, facillimè tamen nostris mentibus & cogitationibus poterimus concipere, ex fœlicissima ista Vnione, quanta & quàm infinita bona in vniuersam hanc Insulam promanauerint. Nam, si viginti millia hominum satis potens est validusq́; exercitus ad præliandum: ecquis dubitabit quadraginta millia virorum, duplò plus virium habitura ad victoriam comparandam? Si aliquis è Magnatibus, ex agris suis, annuisq́; prouentibus, seipsum duabus partibus ampliùs ditauerit, quàm vsquam anteà possederat: an non illum hominē, duplò plus nunc ditiorem & potentiorem esse, quàm anteà, existimabitis? Ipsa natura nos docet, ex perexiguorum atomorum concursu, grandiores etiam montes fieri: & ex paruulis quibusdam oppidulis, vicis, ac pagis,

per potentiores Tyrannos euictis & ſubactis, ampliſſimas & vrbes, & Comitatus, & regna etiam atque imperia tractu temporis fuiſſe conſtituta? Ex quibus minutioribus exordijs tanta ſunt ſubſequuta incrementa, vt in fortiſſimas tandem, & glorioſiſſimas Monarchias excreuerint, eaſque tam benè inſtructas & munitas, vt non ſolùm ſeipſas, contra vim omnem & potentiam tutò poſſent defendere, & quamcunque iniuriam extrinſecùs oblatam repellere, ſed illorum etiam hôminum temeritatem acerbiùs punire, qui contra Regni ſui dignitatem quicquam turbidè ac violenter attentauerint. Quid? an non adhuc etiam meminiſtis, in hoc ipſo Regno, in quo nunc ſumus & viuimus, fuiſſe aliquando, idque præter *Cambriam*, quæ nunc *Wallia* dicitur, ſeptem Imperia, partitim inter ſe, & ſeorſim diſtributa? Ecquid dubitatis iſto nunc modo, & ex hac Vnione, huius imperij

perij vires, per innumeras jam partes excreuisse, & ad tantum robur peruenisse? Aut ex *Cambriæ* cum hoc regno coniunctione, an non arbitramini Insulam istam Anglicanam, multò nunc potentiorem euasisse? Atque, vt nunc de *Wallia* pauca quædam obiter interponam:

Quanquam Cambrensis ille Principatus, omnium opinione, satis potens quoddam validúmque Imperiolum habetur: si tamen cum antiquo illo & glorioso *Scotorum* regno comparetur: necesse est, vt locum illi det, ac permultùm cedat *Scotiæ* magnitudini atque potentiæ. Sed quid opus est rationibus & coniecturis vti probabilibus, cùm manifestum sit, hæc omnia, ita vti videtis, euenisse, non sine summa prouidentia, sic cuncta moderantis & destinantis Dei. Quis enim non videt, hæc duo regna, & linguâ, & religione, & morum etiam similitudine, quàm arctissimè inter se

iuncta esse & copulata? Imò, ita nos omnes in vnam Insulam coniecit Deus & congregauit, vno item Pelago circumcirca fluente, tanquam firmo quodam muro, sic nos circumsepsit & muniuit, vt ipsis extremarum vtriusque nationis partium incolis difficillimum sit, proprios suos agrorum terminos atque limites distinguere. Hæc enim duo regna, cùm neque vastitate maris, neque fluminis alicuius magnitudine, neque montium præruptorum altitudine, neque vllo alio naturali impedimento disiungantur, sed paruulis quibusdam lacubus atque riuulis, murorúmque nonnullorum ruderibus, vetustate temporis sic collapsorum & exæsorum, vt vix iam restent illorum vestigia nostris sensibus percipienda; nunc tandem aliquando, hoc iure meo hęreditario, ad quem vtriusq; Coronæ prærogatiua, legitimis meis natalitijs ritè pertinet, tam firmiter connectuntur, vt

in

in vnum quaſi corpus coiuiſſe, ac v-num quendam munitiſſimum mundum conſtituiſſe videantur: iſque (vt videtis) naturę beneficio, tam admirabiliter, altiſſimarum quarundam aquarum voragine, veluti ſcrobibus nonnullis profundioribus, ita circumſeptus eſt & defenſus, vt omnes illæ prioris ſeculi formidines, quibus hæc natio vehementer angi, & diſcrutiari ſolebat, iam nunc perſonæ meæ præſentiâ penitùs amputentur. Semper enim antehac, altera illa iſtius Inſulæ pars, quæ Scotica eſt & Borealis, magnam præbebat oportunitatem, ad peregrinos excipiendos, ſi quid per vim aliquando, & bellicos incurſus, in iſtam regionem moliri conarentur. Et idcircò hoc ſemper à vobis prouidè prudentérque prouiſum fuit, vt ſubitis veſtris incurſionibus Scotorum quies crebriùs interturbaretur; eo enim modo, dum auerſi erant, & auocati ab alijs victorijs acquirendis:

ad ſua domi defendenda,& ad poſticam (vt aiebant) ſuam benè tutandam toti erant attentiores. Neque certè potuit quicquam aliud à vobis ingenioſius excogitari, ad Anteceſſorum noſtrorum conſilia retardanda, quotieſcunque aut de magnis rebus forîs gerundis, aut de inſignibus ſibi victorijs aliundè comparandis cogitabant.

Quocirca, id quod Deus coniunxit, homo ne diſiungat. Ego verò maritus ſum, & tota hæc Inſula vxor mea eſt legitima: ego illius caput, illa mihi corpus: ego ſum paſtor, illa certè meum ouile. Cùm igitur ego Rex ſim Chriſtianus, & Euangelium Dei libentiſſimè amplectar: ſpero neminem tam deſipientem eſſe, vt me velit vel Polygamum fieri, vel binarum vxorum maritum, vel par eſſe putet, cùm ſim caput, corpus vt habeam aliquod monſtroſum,& in plures partes diuulſum: vel cùm paſtor ſim,

sim, habeamque ouile tam capax & spatiosum, vt nullum aliud in eo sepimentum sit, præterquam quatuor illa celeberrima maria; ego tamen oues custodiam meas, tam longè inter se disiectas & dissipatas, vt Palantium more, in locis deuijs atque ignotis oberrare videantur.

Hoc autem pro certo, certóque mihi persuasum habeo, neminem esse ex meis honestioribus subditis, qui minùs lętatur, & ex animo triumphat, quàm ego ipse lætus sum ex istac Vnione. At si fortasse aliquid sit, quod videatur posse probabiliter objici ab illis hominibus, qui vel ægrè ferunt hanc Vnionem, vel quantum in ipsis est impedire cupiunt, opus istud tam præclarum, quod in mea Persona, bonitate Dei, exædificatum iam est & stabilitum: certè id totum quicquid est, quod ab eis obiectari potest, & friuolum est & facilimum ad diluendum. Sed & spero, & credo etiam,

nullos omnino posse reperiri, qui cõtra hanc vnionem velint quicquam obmutire; nisi sint aut ignorantiâ penitus obcœcati, aut malis cogitationibus sic abrepti, & deprauati, vt vel in nulla Rep. bene constituta possint viuere, vel nusquam alibi, quàm in turbidis lacunis, atq; cœnosis, piscandum arbitrentur. Nam, si de Regni dignitate & priuilegiorum prærogatiua concertandum putant; vtrumq; certè Regnum, à principio, nil aliud fuit, quàm Monarchia. Vnde necessariò sequitur, vtrique corpori, proprium suum caput nunquam defuisse, quoniam indiuiduo quodã nexu, caput semper solet corpori adhęrescere. Quocirca, vt honores & priuilegia illorum Regnorum, nullo modo separari potuerunt à suis Principibus: sic in meà nunc persona, qui amborum coniunctîm Regnorum, pari iure caput sum, omnes illæ dignitates pariter coeunt, & coniunguntur.

Cùm

Cùm istud regnum Angliæ in multos erat dominatus & imperia discerptum, & diuulsum; (id quod olim fuit apud seculum prius, vt vobis modo significaui) fieri profectò non potuit, quin alterum illorum ab altero, tractu temporis paulatim absorberetur, donec in vnum quoddam corpus, omnia redacta coalescerent. Interim tamen Wiltonia, & Deuonia, quę duo ad Occidentales Saxones pertinebant, quorum imperia longissimè perdurabant, & suis armis atque virtute reliquos omnes Regulos debellabant: omnium aliorum honorum præcedentiam ac prærogatiuam, suo quasi iure sibi assumunt: & Suffolciæ, atque Essexiæ, ac cæteris omnibus Comitatibus ab ipsis superatis, se dignitatis gradu præponi postulant.

Præterea, an non idem ipsum experimur in Gallia euenisse? Quod nihil aliud est quàm regnum quoddam ex multis Ducatibus, vi & armis, iam-

dudum ſubactis, & abſorptis conflatum & coagmentatum. Nam, vt minutiores illi lacus, in grandiores fluuios illabentes, vſitatum ſuum nomẽ, omnemq́ue ſui memoriam penitus amittunt: & quemadmodum grandiorum etiam illorum fluminum nomina prorſus pereunt, & euaneſcunt, poſtquam illapſa in Oceanum; vbi abſorbentur, excurrerint: ſic multorum paruulorum Regnorum in vnum coeuntium coniunctione, omnes illæ dubitationes, ac legales diſceptationes, quæ antea ſolebant haberi, de terrarum regẽdarum iuribus, & Principatibus, continuò extinguuntur.

Atqui, cùm Saxonum illa tot Imperia, *Bellonæ* viribus & haſtâ ſubacta, atque in vnum Regnum coacta, tam fœlicem exitum habuerint: quid quæſo impedit, quò minùs ſperandum ſit, fœliciſſimos itidem fore ſucceſſus, ex grandiſſima hac illuſtriſſimáque coniunctione, quæ nuptiali *A-*

ſtrea

ſtræ annulo tam auſpicatò copulatur? Et quoniam non ſine præpotentis Dei numine atque ductu, factum eſt, vt Scotica terra, quæ iſtius inſulæ dimidia pars eſt, recentem me natum & in cunis vagientem videret, primamq́ue illam & imperfectam ætatis meæ partem poſſideret, vos verò hoc quod reliquum eſt, & maturioris huius & perfectioris ætatis meæ curriculo perfrueremini: Spero quidem neminem tam aſperum & iniurioſum in me fore, vt, ſi optio illi daretur, diuidi hoc meum corpus vellet, aut in varias partes dilacerari, ac diſcerpi. Cæterùm, hac in re, ſatis diu commoratus ſum: habeoq́ue mihi ſatis perſuaſum & exploratum, totam hanc orationem meam fuiſſe vobis acceptiſſimam.

Iam verò, quanquam omnes iſtæ fœlicitates, tum externæ, tum internę quæ à me commemorantur, permagnæ quidem ſunt & in̄ ſummo pretio

habendæ: tamen nisi tantorum bonorum continuandorum spes aliqua subesset & expectatio, illa omnia profectò multò leuiora existimarentur. Ecce igitur vobis, hac etiam in re, summum erga nos Diuini fauoris ac bonitatis argumentum. Cùm enim mihi corporis mei prolem, eamque vt videtis præsentem, (& vt spero, non inscitam) tum maximæ spei plenam, tum insigni sanitate imbutam dederit. Profectò nullo modo dubitandũ est, de ista fœlicitate, quæ cum mea Persona coniuncta est, continuanda. Sub qua, spero omnia illa bona, siue interna, siue externa, quæ per me vobis impertiuntur, eam in se habere stabilitatem, vt in omne æuum sint duratura.

Cæterùm neque pax ista externa neque interna; neque reliqua illa bona, tum præsentia, tum futura, de quibus locuti sumus, vllius profectò sunt momenti: sed tanquam putrida

quædam

quædam præſidia, maximéque falla-
cia ſunt exiſtimanda, niſi Deus, ſingu-
lari ſuo fauore, illa ſic ſecundauerit,
vt ſtabilem eis firmitatem conceſſerit:
Niſi enim, *Ioua vrbem cuſtodiat, fru-
ſtra vigilat cuſtos. Niſi Ioua domum æ-
dificet, fruſtrà laborant, qui eam ædifi-
cant: & fruſtrà ſeret Paulus, fruſtrà ri-
gabit Apollo, niſi Deus auxerit*: vt
Paulus ipſe confitetur.

Omnes enim iſtæ humanæ fœli-
citates, nihil aliud ſunt quàm veluti
flores caduci, ac ſubitò euaneſcentes
vmbræ, aut tanquam Paleę ventorum
flatibus huc atque illuc agitatæ, niſi
ad regia ſolia noſtra conſeruanda, &
veræ religionis confeſſione, & bono-
rum operum aſſiduitate, diuinæ Ma-
ieſtatis Numen, ita vti nos decet, exo-
rauerimus. Quanquam verò, quam-
primum in hoc regnum intraueram,
tum multis meis congreſſibus cum vi-
ris Eccleſiaſticis, tum plurimis etiam
Edictis ac Proclamationibus, mentem

meam ad Religionem ſpectantem, ita vti par fuit, & pleniùs, & planiùs iamdudum patefeci: non tamen superuacaneum eſſe puto, vt de intimis animi mei conſilijs ac cogitationibus, nunc iterum velim vobis meam ſententiam apertiùs ſignificare. Spero enim per gratiam Dei, nullum vnquam tempus fore, in quo me pudeat Religionis meæ confeſſionem publicè profiteri: id enim ſi committerem, vehementer pertimeſcerem, ne me itidem, & coram Angelis, & coram hominibus Deus ipſe denegaret. Atque in hoc potiſſimùm tempore, iſtud mihi præcipuè cauendum eſt, ne homines parùm cauti & inconſulti, meorum itidem conſiliorum ignari, meâ tum lenitate, tum patientiâ, ad Parlamentum iſtud conturbandum, intemperantiùs abutantur.

In primo hoc noſtro aduentu: vnam quandam Religionem, noſtræ profeſſioni haudquaquã abſimilem,

eamque

eamque & publicè approbatam, & vestris legibus stabilitam inueni, fateor: cæterùm, & alium etiam Dei cultum in intimis huius Regni visceribus latentem; præter tertiam quoque quandam priuatam Sectam furtim & in angulis perreptantẽ reperi. Prima illa & vera est, & tum per me inprimis approbata, tum legum vestrarum authoritate confirmata. Altera verò illa secunda falsa est, & erroris plena: quæ, quanquam à multis appellatur Catholica: tamen re vera tota est Pontificia. Tertia illa, quam ego Sectam potiùs quàm Religionem appello, est istorum Puritanorum ac Nouilistarum circa Religionem opinio: Qui in nostrâ professione, non tam in ipsis Religionis nostræ articulis ac fundamentis, à nobis discrepant, quàm in curiosis quibusdam paritatis punctulis, & Politicis nonnullis gubernandi formulis. Qua in re homines isti inquieti, rerum præ-

ſentium moderationi aduerſi, & ad ſuperiorem poteſtatem tolerandam inepti, paulò tumultuoſiùs quàm par eſt, ſe gerunt: & hanc ob cauſam Sectam iſtam, vt odioſum quiddam, & turbulentum, ex omni Rep. rectè inſtituta, eijciendam puto. Cæterùm, quæ ſit mea de illis ſententia & opinio, in publicis meis hac de re Edictis & Proclamationibus, vt anteà dixi, patefactum reperietis.

De Pontificijs verò vt loquar: profectò ęquiſſimum illud eſſe mihi videtur, vt differentiam quandam ponam, inter priuatam meam, ſalutis cauſâ, Religionis profeſſionem, & publicam Reipublicę adminiſtrationẽ, propter communem omnium vtilitatem, & quietem conſtitutam. Quòd ad meam attinet profeſſionem, habetis me iam inter vos, illius religionis caput: quàm & corpus, & membra illius capitis profitentur: &, vt ſanguinis coniunctione ac cognatione vos

propiùs

propiùs attingo: ita, & omnium etiam illarum rerum vobiſcum particeps ſum & affinis, quas verus domus Dei cultus, & ſacroſancta religio requirit. Quanquam autem aperta hæc mea confeſſio, cum primis illis educationis meæ fundamentis perfectè congruit, in qua (bonitate Dei) vnà cũ nutrice veram pietatem ſuxiſſe videor: tamen in hoc veſtro conſpectu, hîc coràm profiteor, nunquam vel ad laudem aliquam conſtantiæ aucupandam, vel ad vllam aliam præiudicatam opinionem retinendam, hanc quam profiteor Religionem, me tam firmiter, & obſtinatè defendere voluiſſe; niſi manifeſtò reperiſſem, eam tum rationi, tum regulis fidei ac conſcientiæ, maximè conſentaneam extitiſſe. Neque tamen in hac mea profeſſione, aut nimis vnquam vehemens, aut præter modum rationemque pertinax fui. Libenter profectò fateor & agnoſco: Romanam Eccleſiam matrem nobis

extitiſſe: quanquam nonnullis nunc maculis, & corruptelis inquinetur: id quod Iudæis accidebat, tum cùm Chriſtum crucifixerunt. Sed, vt in homine ægrotante, ille nullo modo infirmo illius corpori inimicus eſt habendus, qui medicinam adhibendam ſuadet, vt à vitioſis humoribus perpurgetur: Similiter & ego Romanenſium Eccleſiæ nullo modo inimicus ſum cenſendus, ſi auidè cupiam, vt illorum errores, aut tollantur, aut emẽdentur. Caſum certè & ruinam illius Eccleſiæ non exopto; ſordes ſolummodò elui, & corruptelas remoueri cupio. Aliter enim, quo modo queunt petere à nobis & requirere, vt *intremus*, niſi & domum ſuam priùs nitidiſſimè verri, & à ſuis ſordibus emundari procurauerint. Profectò nõ eſt quiſquam inter Puritanos, tam curioſus & inſipiens, qui minùs laxas, ſolutaſque habenas habeat, ad diſpenſandum, vel cum minutiſſimis etiam

rebus

rebus ad conſcientiam pertinentibus, quàm ego habeo: ægrè tamen adducor, vt propter priuatam aliquam opinionem meam, in meorum Subditorum, ſiue corpora, ſiue animos velim paulò duriùs imperium exercere meum. Imò, ſemper ego tantoperè abhorrui, à meorum Ciuium conſcientijs vel acerbiùs affligendis, vel prę-ter fas & æquum nimium conſtringendis, vt omnibus illius religionis profeſſoribus hîc commorantibus, ſatis iam notum ſit & perſpectum, (vt opinor) poſt meum in hoc regnum ingreſſum, quàm clementer cum eis egerim: tantumque me abeſſe ab omni acerbitate & acrimonia, vt quibuſcunque modis, ſiue per legem, ſiue per vllam temporis oportunitatem, commodè poſſem illos alleuare, id totum libentiſſimè potiùs præſtiterim, quàm voluerim committere, vt plura oneroſa grauamina illis, cùm *Rheboam*, adaugerentur. Nuperrimè

etiam in iſtud negotium, totis animi mei viribus incumbebam, vt omnia illa ſtatuta & plebiſcita, quæ contra Pontificios ferebantur, diligentiùs examinarem & perpenderem: vt ſi quid eſſet in illis, quod hactenus vel acerbiùs ſcriptum, vel à Iudicibus paulò duriùs explicatum fuerit, hinc iuſtam occaſionem acciperem, vt quicquid in eis, vel immutandum, vel mitigandum reperiretur, id iuſtis rationis ponderibus (id quod ego legum vitam eſſe arbitror) & prouidè & modeſtè perficeretur: ne aliquid in eis relinqueretur, quod bonos viros & honeſtos, non minùs offendere, quàm ſontes, ac grauiter delinquentes punire videretur.

Nunc verò, vt ad illos meos ſubditos propiùs accedam, qui Pontificiæ huic Religioni ſua nomina dederunt, eos omnes in duo genera eſſe diuidendos exiſtimo. Nam aut Clerici ſunt & literati, aut imperiti & plebeij.

Quod

Quod ad hos Plebeios attinet: certè in ea ſemper opinione fui, vt eos mul-tò minore reprehenſione dignos exi-ſtimarem, quàm literatos illos atque Clericos: quoniam illud hominum genus tam rudem quandam fidem, & tam dubiam atque implicitam (ſuper Eccleſiam autem ſuam fundatam) profitentur, vt niſi illa omnia confuſè generatimq́ue crediderint, quæ in il-lorum doctrina traduntur, nullo mo-do poſſint illis erroribus inquinari, qui à Papiſtis tam acriter defenduntut.

Sed & iſtorum etiam Laicorum duo ſunt genera: quorum alterum ſo-brium quoddam & quietum homi-num genus eſt, & quoad externum vitæ curſum bene moratũ: quos iam ætate prouectos, diſpudet ab inuete-ratis ſuis opinionibus recedere, qui-bus à primis ſuis temporibus imbue-bantur: id enim ſi facerent, exiſtima-tioni ſuæ valdè dedecoroſum fore ar-bitrarentur.

Alterum est illorum genus floridum & iuuenile, qui in corruptis quibusdam locis, ab ipsis incunabulis suis edocti & educati, in loco boni ac salutaris alimenti, pestiferos istos errores, tanquam lac à nutrice, suxerunt. Prius illud hominum genus, ægrè quidem adducor, vt propter animorum lapsus & errores, grauiter puniendos putem. Harum enim rerum correctio & emendatio, solummodò à Deo, & sancto Spiritu expectanda est.

Aliud autem adhuc Laicorum genus est, qui inquietis quibusdam humoribus vexati, rerum nouarum auidi, turbidisque animorum motibus agitati, idcircò suas in religione sententias crebrò commutant; vt furiosos in Rep. tumultus & factiones fanaticas commoueant, neque istud aliam ob causam faciunt, quàm vt Remp. optimis legibus benè constitutam, malè perturbent. Atqui istorum hominum

furentium conatibus, ne longiùs ſerpat illorum pertinacia, primo quoque tempore à nobis, obuiam eundum arbitramur: penes quos & iuſtum eſt imperium: & harum rerum emendandarum ſumma poteſtas.

Quod verò attinet ad Clericos: hoc illud eſt, quod ego planè proteſtor & affirmo: quòd quamdiu vnam quandam abſurdam in ſua doctrina opinionem defenderint, & vni itidem alteri peſtifero errori in ſuis actionibus ac Praxi patrocinati fuerint, tam diu nullo modo ferendum eſt, vt in hac noſtra Rep. commorentur. In illorum doctrina, arrogans illud & odioſum Principatus deſiderium, quo Papa ſibi nimis inſolenter vēdicat, nō ſolùm ſpirituale quoddam ius, & imperium, in reliquos omnes Chriſtianos: ſed ciuilē etiam iuriſdictionem atque potentiam, in omnes Reges & Imperatores, ita vt vnico pedis impulſu, non ſolum reges è ſuis ſolijs at-

que ſedibus deturbare: ſed Regna etiam illorum & imperia, ſuo pro arbitrio, cuicunque voluerit, diſponere & diſpertire queat. Hoc inquam tam abſurdum illorum dogma, è Chriſtianorum cœtibus explodendum eſt.

Alterum monſtrum & horrendũ, quod in quotidianis ſuis actionibus, tanquam laudabile quiddam tantoperè probant, hoc eſt: nimirùm *trucidare Reges*, & contra Principes, ac legitimos Magiſtratus, hoſtiles ciuium tumultus, bellicoſq́ue motus commouere: hoc illi nullum peccatum eſſe arbitrantur, ſed potiùs laude dignum, & meritorium quiddam, vt ipſi loquuntur, autumant; poſtquam ſcilicet Romanenſis ille Monarcha, vel monſtroſum potiùs Eccleſiæ ſuæ caput, Regem aliquem horribilibus ſuis diris ac anathemate percuſſerit: aut Subditos eius ab omni vinculo fidelitatis & obedientiæ liberauerit, aut Regnum eius tanquam prædam, & ſpolium

ſpolium à Prædatoribus diripiendum proſcripſerit.

Cæterum hac de re, nulla nunc cauſa eſt, cur hoc tempore plura dicam. Hoc ſolum illud eſt, quod vos velim intelligere: nihil mihi in meis votis aut prius eſſe, aut optatius: quàm vt tempus illud aliquando videam, in quo, per me tanta in Religione concordia, communiſque animorum cõſenſus, tandem aliquando procuretur, vt omnibus factionum ſtudijs & affectibus ſepoſitis, in eximio illo & præclaro Medio, quod veluti Centrum quoddam eſt, & ſumma rerum perfectio, cõcorditer poſſimus conuenire. Nam ſi illi Pontificij omnes illos craſſos ſuos errores, & nouas opiniones libenter ac modeſtè deponerent, quos nec vlla honeſtâ ratione poſſunt defendere: nec denegare queunt, quin & multæ, & iuſtiſſimæ cauſæ ſint, cur emendentur: profectò, ego minimè recuſarem, quo minùs vellem in viam

memet dare illis in occurſum, & amanter amplecti: eâ tamen lege, & conditione, vt omnes illæ (quotquot ſunt) in opinionibus Nouitates, vtrinque penitùs amputarentur. Nam, vt mea fides antiqua eſt, & catholica, & Apoſtolica, ita certè, & ipſe quoque omnibus antiquitatibus, ad Eccleſiaſticam adminiſtrationem pertinentibus, omnem reuerentiam & honorem libentiſſimè tribuo. Atque hinc opinor fiet, vt per gratiam Dei, tam integrum me ſeruem, & ab omni labe incorruptum: vt neque in fide hæreticus: neque in ciuilibus Rerump. gubernationibus, vnquam ſim futurus ſciſmaticus.

Cæterùm vnum quiddam eſt, de quo omnes Papiſtas, quotquot in hoc Regno ſunt, etiam atque etiam admonendos velim. Quanquã enim nihil eſt à mea natura diſiunctius, quàm vt haberi velim perſecutor: Tamen nolim hac in re, illos tam intem-

peranter

peranter abuti hac mea,tum lenitate, tum patientiâ:vt indè ſibi aut liberum aut licitum putent, ſuos hîc cœtus quotidiè, aut vires ſuas in hoc regno adaugere: ſperando aliquod vnquam tempus idoneum fore,(idque ſi non me viuente, poſteris tamen fortaſſe meis regnantibus) quod ad priſtinam hanc ſuam Religionem, iterum renouandam, ac reſtituendam oportunum arbitrentur. Imò potiùs hoc ſibi velim perſuaſiſſimum habeant. Quod vt illorum perſonis fautor ſum in primis, & optimè cupio, quamdiu nimirum ſeipſos, & honeſtos Ciues, & fideles ſubditos præbuerint: ita certè ſolenni voto, animo obſtinaui meo, me perpetuum quoddam bellum, iſtis ſuis abſurdis erroribus denunciaturum. Et quemadmodum,nihil eſt profectò quod maiorem mihi dolorem poteſt facere, quàm ſi malis ſuis moribus effecerint, vt ad vitam corpuſque illorum conſeruandum, ego

curã omnem meã, & patrociniũ obij-
ciam: ita certè animum induxi meũ,
nullum me vnquam aut tempus, aut
oportunitatem prætermissurum, ad
putidos illorum errores, futilesq́ue o-
piniones conculcandas. Nam si ab-
surditates illas denuò nunc nasci, &
repullulare permitterem: primum e-
quidem & mihi ipsi, ac conscientiæ
meæ grandem iniuriam facerem: de-
inde de tota hac Insula, pessimè pro-
mererer: prætereà, tum illis huius Re-
gni partibus à quibus exiui, tum istis
etiam in quibus nunc sum & viuo,
valdè iniuriosus essem, si nihil pensi
haberem, illorum libertates sic prode-
re, & ad iugum illud seruile iterum
subeundum cogere: quæ omnia à
suis ceruicibus penitùs iam pulsa &
abiecta videram, priusquam ad eos
accesseram. Postremò, coronam hanc
meam, quam nunc & mihi, & maio-
ribus meis, omni iugo solutam & libe-
ram inueni, nouâ quadam ac turpi
serui-

seruitute impeditam relinquerem.

Hæc cùm ita sint, vehementer cupio & exopto: vt omnes boni ac fideles mei subditi, qui corruptis illis fucis decipiuntur; si motum aliquem internum, pulsumq́; percipiant in intimis animi sui sensibus, ad veritatem tum indagandam, tum amplectendam, pias illas motiones, omnibus quibus poterunt honestis rationibus, & fouere, & augere velint: caueantq́ue inprimis, ne sanctum illum spiritum, sic in illis mouentem & agitantem restinguant. Quòd si nullum talem adhuc sensum, in interioribus cordis sui partibus senserint: tunc istud eis consilium do, vt multum & studiosè legant, & cupidè seipsos aggregent, ad literatorum hominum congressus atque consilia: cæterisq́; omnibus modis & rationibus contendant, quibus honestus iste illorum animi conatus adiuuetur. Quamdiu enim in religione, à nobis alieni sunt &

diſcordes, tam diu, aliter fieri non po-
teſt, quin ſint tantummodò mei, vt
ita dicam, ſemiſubditi, à quibus quid
aliud (quæſo) expectem poſſe profi-
ciſci, quàm ea quæ manca ſunt, &
ſemiperfecta officia? Cùm certò ſci-
am, optimas illorum partes, id eſt, eo-
rum animas, à me ſemper alienatas
fore.

Atque hîc oportunè quidem mihi
datur occaſio, vt vos, Dom. Epiſcopi,
paucis alloquar. Nā vt tu Do. Dunel-
menſis Epiſcope pereruditè hodiè in
tuo ſermone dixiſti. Correctionem,
ſi abſit inſtructio, nihil aliud eſſe,
quàm violentam tyrannidem: ita &
tuum nunc officium eſt, & reliquo-
rum etiam Eccleſiaſticorum virorum
partes ſunt, & officia, vt tum ſancti-
tate vitæ, boniſq; exemplis, tum pu-
ritate doctrinæ, quàm plurimos ho-
mines ad Deum lucremini: & cùm
videatis Pontificios illos, tam ſedulos
eſſe & aſſiduos in ſuis muneribus per-

fungendis,

fungendis, vt nullis parcant vel laboribus, vel periculis, vt à vera Religione, quoſcunque poterunt, auertant: (tam diligẽs nimirùm Epiſcopus Diabolus eſt,) idcirco par eſt, & rationi conſentaneum, vt vos profectò in veſtris itidem officiis obeundis, maiorem curam & diligentiam adhibeatis. Quin regulam à *Paulo* vobis prȩſcriptam ſequimini: *Inſta opportunè, importunè, argue, increpa, cohortare, ſumma cum clementia & doctrina*. Et ſi quando antehac in hoc negotio fuiſtis paulò negligentiores, nunc tandem excutite à vobis omnem ſegnitiem, & nouâ quadam alacritate in hoc veſtrum munus incumbite: eius rei ſucceſſum, bonitati Dei relinquentes: à quo cùm vocati fuerint, ſiue ſecundâ horâ, ſiue tertiâ, ſiue demum decimâ, ſiue ad extremum, horâ duodecimâ in vineam intrauerint: Credite mihi, quemadmodum ipſi Deo omnes erunt pariter accepti: co-

dem certè modo (ita me Deus amet) illorum aduentus, mihi quoque hîc præpotentis Dei locum vicemq́ue gerenti, erit gratissimus.

Venio nunc ad tertiam illam causam, cur hoc potissimum tempore voluerim vos congregari. Nimirum, vt omnes illos modos & rationes exquiram, quibus meam in vos beneuolentiam, ac animi pietatem, possim publicè testatam relinquere. Et quanquam benefacta mea illam habent naturam, vt vel à me fieri, vel non fieri, meo pro arbitrio possint, spero tamen per gratiam Dei, benefaciendo me nunquam defatigatum iri. Atque hoc totum negotium in duabus rebus situm est & collocatum: nempè in procurando, vt bonæ leges, statis quibusdam temporibus, (quale hoc est istius Parlamenti peropportunum) condantur: & in prouidendo, vt fida illarum legum executio in perpetuum obseruetur.

Quod verò ad plebiſcita veſtra & ſalutares ſanctiones ferendas attinet: ſingularibus verbis hîc vobis ſanctiſſimè ſpondeo, quod quicquid ex vtilitate reipub. fuerit, & ad communem ciuium meorum ſocietatem maximè conducibile, id ego priuatis meis cõmoditatibus, animique affectibus libentiſſimè ſemper anteponam. Sic enim animatus & ſum, & ſemper eram, vt publicam ciuium ſalutem & vtilitatem, priuatam meam tum vtilitatem, tum incolumitatem, complecti in ſe, ac continere exiſtimarem. Atque hoc illud eſt, in quo maximum illud diſcrimen quod eſſe ſolet inter bonum Principem ac odioſum Tyrannum, potiſſimùm poteſt obſeruari.

Sed hac in re, hoc tantum illud eſt, de quo velim vos præcipuè præmoneri: ſcilicet vt prouidè, cautéque circumcirca proſpiciatis, ne nimiâ legum multitudine Reſpub. obruatur, idque

duas potiſſimùm ob cauſas. Primùm quòd in corruptiſſima Republica, plurimæ leges ſolent exiſtere: at multò ſatiùs eſt, in Repub. prouidere, vt bonarum legum,licèt ſint pauciſſimę, fida habeatur executio, quàm vt iſta legum (vt ita dicam) nimietate, hominum memoriæ tantoperè perturbentur. Deinde, in multis legibus excogitandis, (idque in vno Parlamento) nimiùm anxiè & ſollicitè vos ipſos defatigare, cùm neque ſatis otij ſit, neque temporis, ad maturiùs de rebus ſingulis deliberandum: hoc nihil aliud eſt profectò, quàm miram quãdam rerum confuſionem temeritatis plenam introducere. Nam & verè, & rectè dixit Epiſcopus hodiè: In omni deliberatione, benè longum ad cogitandum ſpatium ſumi oportere, ad exequendum verò, id quod maturè conſultum eſt, maiorem celeritatem requiri. Cæterùm, quod attinet ad bonarum legum executionem, hac in

re,

re, nunquam ſatis laudare poſſum ſummam illam & admirandam Maiorum noſtrorum prouidentiam: quorum prudentiâ effectum eſt, vt in hoc regno tot Iudices, totque boni viri in locis oportunis cum magiſtratu collocarentur, ad prouidendum vt bonæ leges inuiolabiliter ſeruarentur.

Quocirca, ad vos iam, qui ſub me Iudices eſtis & reuerendi legum interpretes, quique hîc mihi adeſtis tanquam oculi, aureſque ad veritatem indagandam, conuertenda eſt oratio mea. Nihil autem ampliùs hîc vobis poſſum dicere, quàm id quod olim Iudicibus ſuis à bono illo *Ioſaphato Iudæ* Rege dictum erat. *Videte quid agatis: non enim hominibus, ſed Iouæ iudicabitis, qui vobis in re iudiciaria adfuturus eſt: quam ob rem facite, vt Iouam formidantes, cautè vos geratis.*

Quemadmodum, autem veſtræ villicationis ratio à vobis mihi reddenda eſt: ſic & nos quoque eodem

modo oportet esse paratos , ad reddendam rationem, quàm integrè & inculpatè in officijs nostris perficiundis nos ipsos præstiterimus. Prætoriæ istæ sedes, nō sunt loci in illum vsum instituti, vt in eis, vestris studijs & priuatis animorum affectibus subseruiatis. Sed in illis subsellijs, abijciendi sunt omnes animi motus & affectus, & amor in amicum, & odium in inimicum deponendum est. Potentiorum omnis metus, & tenuiorum cōmiseratio reijcienda sunt. Oculi vobis sunt occludendi, ne dignitas ac differentia personarum à rectâ viâ vos auferat: amputandæ sunt item manus, ne muneribus coinquinentur: & tam iustè temperatéq; in toto iudiciorū vestrorū cursu obambulandū est, vt Trutinarū more, neq; in dextrā, neq; in sinistram præponderetis. Tres sunt præcipuæ virtutes quę in vobis requiruntur: Scientia veri, Fortitudo animi, & integritas vitæ: vt & scienter
perspi-

perſpicere quod verum eſt, & audenter agere quod eſt iuſtum, & vtrumque poſſitis integerrimè perficere.

Quod ad me attinet, ſanctiſſimè hîc voueo, & coram Deo, ac in honorabili hoc veſtro conſpectu, ſolemnibus verbis promitto, me nullam vnquam oportunitatem omiſſurum, in qua aliquid poſſim præſtare, quod ad meam curam ac diligentiam oſtendendam in legibus plenè & perfectè exequendis vllo modo pertinere videatur. Et quemadmodum ego exopto, vt vos qui Iudices eſtis, velitis putare, omnem defatigationem vobis turpem videri, in tam præclaris iſtis veſtris officijs perficiundis: ſic, & ego etiam pro mea parte ſimiliter ſpondeo, me nunquam defatigatum iri in vobis (vt meum poſtulat officium) examinandis, quàm laudabiliter & incorruptè, in veſtris magiſtratibus obeundis, vos ipſos præſtiteritis.

Habetis iam tres illas cauſas vobis

enumeratas: propter quas solemnia istæc Comitia hoc tempore celebranda curaui: quæ quidem omnes, ad vnum eundemq́ue finem referuntur, nempe, vt gratam animi mei voluntatem, tum verbis, tum factis, omni posteritati testatam relinquerem. Interim tamen cùm omnia præstitero, quæ in hac mea oratione me vobis præstaturum recepi, agnosco me seruum fore inutilem. Inutilem autem cùm dico, velim existimetis, me genuinum sensum illius verbi sequi, qui in Scripturis habetur: id est, Cùm omnia perfecerimus, quæ ad Deum rectè colendum pertinuerint, tamen in ea re, nos nostrum solummodò officiũ facimus: nec suprà quàm quod debemus facere, quicquam facimus. Eodem etiam modo, cùm & nos quoque omnia ea præstiterimus, quæ in nostra sita sunt potestate vt præstemus, nihil aliud tamen profectò facimus, quàm id quod à nobis fieri,
nostræ

noſtræ partes poſtulant, & officia: & ſi aliquid illorum vel omiſerimus, vel in contrariam partem quicquam cõmiſerimus, culpâ certè vacare non poterimus: ac illius facti ratio, nobis coram Deo reddenda erit. Neque enim denegandum eſt, quin hæc ſit maxima & præcipua differentia inter iuſtum Regem legitimè regnantem, & nepharium Tyrannum violenter vſurpantem.

Inſolens nimirum ac ambitioſus Tyrannus idcircò ſibi populum, regnumq́ue dari autumat, vt ad inhoneſtas animi ſui libidines ac voluptates explendas, eis abutatur. Contrà verò, Rex verus & legitimus, idcircò ſe Regem eſſe conſtitutum, ac alijs hominibus præponi putat, vt publicam ſubditorum vtilitatem, florentemq́ue Reipub. ſtatum conſeruet: maximamq́ue terrenæ fœlicitatis ſuę partem, in ciuium ſuorum florentiſſima fortuna ac proſperitate contineri

arbitratur. Si vos diuites estis & opulenti, ego certè nullo modo possum esse pauper: si vos fortunati & fœlices, ego profectò nullius infœlicitatis possum esse particeps: & idcircò palam hîc vobis profiteor, nullam rem vnquam maiori mihi, vel curæ, vel voluptati fore, quàm vt vos florentes videam, & omni rerum copiâ affluentes. Non equidem diffiteor, me seruum esse, est enim illud verissimum. Cùm autem vniuersam huius Regni multitudinem animo meo complector, & de illius membris partitim sic cogito, vt est in multas classes ordinésque discretè ac distinctè distributa: tunc certè negari non potest, quin omnium illorum hominum, ac subditorum meorum, qui in hoc regno mihi subseruiunt & mancipantur, Rex sim & Gubernator. Cæterùm, cùm totam hanc ciuium meorum multitudinem sic considero, vt est vnum quoddam corpus ex multis dissimilibus,

similibus, ac inter [se] discrepantibus membris conflatum & vnitum: tunc certè non est denegandum, quin, vt caput propter corpus, non autem corpus propter caput: sic etiam eodem modo, Rex propter multitudinem, non autem multitudo propter Regem, designetur & ordinetur. Quanquam enim Rex & grex relata sunt, ac inter se mutuò respiciunt: Rex tamen esse non poterit quisquam, si grex illi defuerit, cui præsit. Permultę autem gentes sunt in rerum natura, quibus caput illud deest; quod eas moderetur & gubernet. Quocirca, minimè me pudet confiteri, nihil mihi videri magis honorificum, quàm, quòd summus sum ac præcipuus seruus totius Reipub. publicamque ciuium meorum fœlicitatem, maximam meam in hac vita fœlicitatem, ac præcipuum mihi solatium ac ornamentum fore, semper arbitrabor.

Sed quoniam non erat aut vnus a-

liquis, & item alter, aut certi aliquot particulares viri, qui egregiè præter cæteros de hoc meo aduentu lętabantur: ſed vniuerſa (vt dixi) multitudo, & totum auguſtiſſimi huius Regni corpus, communi cum conſenſu inſignem illam animorum ſuorum alacritatem, ſolidúmque ac internum gaudium declarabant, dum mihi de hoc meo nouo imperio, quod Deus mihi à multis iam temporibus deſtinauerat, gratulabantur: Idcircò, non vni alicui præ cæteris, aut pauculis nonnullis ſingularibus viris, præcipuè me deuinctum arbitror, propter iſtam in me tantam, & tam inſignem animi veſtri virtutem atque conſtantiam: ſed vniuerſæ potiùs Reip. corpori me perplurimum debere confitendum eſt. Nam vt in delictis, quod à multis peccatur, impunè peccatur: ſic & in benefactis, cùm aliquid ab vniuerſa multitudine, vno cum conſenſu, concorditer & alacriter fit: tunc

par esse puto, vt non vni alicui, nêc pauculis quibusdam speciatim, sed omnibus generatim, propter istud illorum in me benefactum gratiæ æqualiter referantur.

Cæterùm, quoniam non potui omnium hominum humoribus plenè satisfacere, qui vel honorem & dignitatem, vel commodum & mercedem à me expectabant: idcircò opus est, vt hoc in loco paucula quædam interponam, ad meipsum hac in re aliquantulum excusandum. Tria sunt beneficiorum genera, quæ de me expectabantur: nam aut honoris & dignitatis incrementum: aut fauorem & gratiam, faciléſque ad meam præsentiam accessus: aut priuatam vtilitatem, auctiorémque rei suæ familiaris prouentum, concupiuerunt. Si honorem in omnes æqualiter contulissem, tunc neminem profectò honoratum virum reddidissem: honor enim ibi esse non potest, vbi omnes æquantur,

aut vbi nullus est huiusmodi personarum gradus & differentia, vt alter alteri possit dignitate prælucere.

Si fores mei cubiculi omnibus ex æquo paterent, tum nemini omninò paterent: non est enim tam capax, vt omnes possint intromitti. Si in beneficijs collocādis, omnibus ęquabiliter benignè largitérque facerem, fons benignitatis meæ breui exarescerет & exhauriretur, ita vt in nullos omninò possem liberalitatem exercere meam. Neque tamen hęc à me in illam partem dicuntur, quasi existimem in hisce omnibus tribus benignitatis generibus perparcè me quicquam aut illiberaliter fecisse. Imo confidenter affirmo, atque id etiam sine omni arrogantiâ, me omne genus munificentię, erga quàmplurimos, & largiùs & honorificentiùs cōpleuisse, quàm quisquam alius Regum Anglorum in tam breui temporis spatio vsquam ante hodiernum hunc diem compleuerat.

uerat. Et eam ob rem, veniam potiùs à vobis hac in re mihi petendam arbitror, propterea quòd paulò largior fortasse prolixiorq; fuerim in dando, quàm oportuit. Regio enim thesauro exhausto, quid aliud (quæso) remanet, quàm vt ad vos confugiam, vobisque molestus sim & onerosus, vt de vestris facultatibus detraham, alijs quod largiri queam: id quod inuitissimè profectò facerem. Quanquam enim verum est, id quod anteà dixi, non vnum aliquem de plebe, aut de grege nõnullos quosdam promiscuè, sed totum huius regni corpus, & vniuersam multitudinem, tam benè de nobis promeruisse: tamen erant certè nonnulli, qui vel propter officium suum quo fungebantur: vel propter gratiam & authoritatem apud populum: vel propter aliam nescio quam huiusmodi occasionem, non solùm iam nunc in hoc meo aduentu, sed etiam priusquam in hoc regnum intra-

ueram, omnibus quibus potuerunt modis elaborabant, vt obſeruantiam & beneuolentiam in me ſuam plus quàm vlli alij teſtificarentur. Neque tamen quicquam dubito, quin reliqui etiam ſubditi mei, ſi vel in illorum locis fuiſſent, vel tam commodè illud perficere potuiſſent, parem in me animi cultum & beneuolentiam oſtendiſſent: Tantus nimirùm in me erat veſter amor & pietas, & tam communis omnium conſenſus & alacritas. Cæterùm quoniam non multi quidem erant, ſed certi aliquot nonnulli, qui in hoc officij genere præſtando certatim quodam modo contendebant, vt reliquis antecellerent: idcircò nullo modo committendum putaui, vt iſtis illorum bene meritis, nihil reponerem: niſi haberi vellem omnium hominum ingratiſſimus. Quocirca, nequaquam mihi videbatur à ratione alienum, vt aliquos honoris incremento ornarem, nonnul-

los prope me, fauore & gratiâ pollentes, collocarem: quosdam etiam qui de me optimè promeruerant, benignitate meâ opulentiores redderem: vt ea ratione instructiores essent & magis habiles ad suam in suis officiis dignitatem conseruandam: aliquos itidem nonnullos aliquantulum reficerem, quos cognoui homines fuisse fauore dignos, & satis etiam idoneos, qui ad meliora officia capescenda eueherentur, sed propter tenuitatem suarum fortunarum, paulò infirmiores esse sentiebam ad tale onus subeundum, nisi meâ benignitate subleuarentur. Quòd si paulò fortasse fui profusior in largiendo, quàm par erat: duæ certè res fuerunt, quæ me ad illud commouebant: quarum altera, honorifica meherculè fuit, & in primis laudanda: altera fortassis & minus habet in se laudis, & à meâ tota infirmitate pendet. Nam quod de benignitatis meæ fonte, quosdam quasi ri-

uulos in totum huius Regni corpus largiùs effluere patiebar, vt hac bonitatis meæ affluentiâ, aliquot boni viri de vniuersa multitudine irrigarentur, qui tam insigniter de me promerue-rant: istud profectò summæ mihi laudi fuisse, & honori arbitrabar. In altero verò benignitatis genere, si quid offendi, profectò id non tam meum vitium fuit, quàm illorum hominum culpa, qui beneficia à me tam obstinatè & importunè postulabant. Sed quoniam ratio & intelligentia quodam modo in nos infunditur, rerum autem experientia, non sine assiduo labore, tractuque temporis acquiritur: spero tempus id aliquando effecturum, vt & subditi mei posthac multò sint prudentiores, ac minùs mihi molesti in petendo: & ego itidem nonnihil tardior sim & cautior in concedendo, si id quod petierint, aut mihi, aut toti Reipub. incommodum fuerit, vt concedatur.

Nunc

Nunc verò, cùm celeberrimi istius nobilissimíque congressus causas omnes plurimis verbis vobis exposuerim, hoc vnum solummodò restat, vos vt exorem, ne grauiter molestéq; feratis, si non tanto cum verborum apparatu & eloquentiâ mentem meam vobis aperuerim, quantam fortassis expectauistis. Totum enim hoc crimen facillimè possem, si modò vellem, in grauiores illas meas occupationes, ac infinita penè negotia reijcere, quibus eram hoc tempore sic districtus & occupatus, vt aut nullum, aut perexiguum sanè spatium habuerim, ad cogitandum. Prætereà, si insuetus iste vester conspectus, ac tam honorabilis cunctorum ordinum consessus, aliquid fortassis solemnitatis in se habebat, quod præter morem nonnihil me perturbauerit & impediuerit, non equidem mirandum est. Sed omissis his omnibus excusationibus, apertè profectò, vt meus mos est, vobis in-

dicabo, quidnam causæ sit, cur minùs solicitus fuerim, de verborum eloquentiâ. Meâ enim opinione nihil magis Regem decet, quàm vt tum perspicuè & apertè, tum sincerè & ex animo loquatur. Cùm apertè dico, hoc nimirùm volo, vt tam dilucidè planéque loquatur, vt omnis absit in oratione ambiguitas: ne vt Ethnicorum olim oracula, sic nunc eius verba in contrarias possint discerpi, & distorqueri sentẽtias. Sincerũ autẽ cùm dico, hoc certè illud est quod intelligo: nempe, optare me, vt tanta insit in Principis tum dictis tum factis honestas & integritas, quanta potest esse maxima. Rex enim, quantò maior est, & cæteris hominibus conspectior, tantò profectò se gerat oportet rectiùs & honestiùs in vita: & sic semper loquendum, vt illius oratio possit esse fidelissimus animi sui nuntius & interpres.

Atqui istud genus eloquentiæ,

velim

velim ſemper vt à me expectetis: qua in re, ſi ſic de me exiſtimabitis, nunquam profectò fallam opinionem veſtram.

FINIS.



Ad florentissimos Academicos Oxonienses.

AMici veteres candidissimi mei,
Quibus & ætas, & ingenij sũmus vigor
Et otium, &, quod rerum primũ est omnium,
Insignis, atq; excellens est Scientia:
Vos (inquam) populares, opem ferte obsecro
Homini bene cupienti, & languenti Seni.
Quod vos hodie nunc estis, id ego olim fui:
Musarum amans, ætate florens, otio
Fruens, doctrinæ qualiscunque particeps.
Videtis quid queant tempora, cuncta auolant:
Nil iam remanet præter voluntatem bonam.
Hîc quicquid est mali, facite melius precor.
At si boni quid est, impense gaudeo.
Valete quàm diu valere vos velim:
Viuite quàm longo ipsi cupiatis tempore.
Et sic opinor viuetis satis diu:
Valebitis autem semper, vt me amet Deus.

